



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Guillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. VI. De legum conservatoribus, quos Græci νομοφύλακες dicunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

die intermisso iure, ad mercatum
legesque Romam accipiendas ve-
nirent, ut & scita atque consulta
frequentiore populo referrentur,
quæ trinundino die proposita, à
singulis atque universis facile no-
scebantur: unde etiam mostra-
ctus ut leges trinundino die pro-
mulgarentur. Hactenus Macro-
bius.

CAP. VI.

De legum conservatoribus, Græci νομοφύλακες dicunt.

DIFFEREBANT à nomo-
thetis νομοφύλακες, quibus à
legibus servandis ut nomen ita &
officium erat. Frustra enim fuif-
sent à nomothetis leges explora-
tæ probatæque nisi, præscripti il-
larum sit usus, secundumque eas
iudicaretur: quod nomophylaces
ut fieret curabāt. Cicero libro de
legibus tertio, illorum officium
diligenter explicat; Græci hoc di-
ligentius,

ligentius, ait, apud quos νομοφύ-
 λακεις creantur: nec ii solū literas
 (nam id quidem etiam apud ma-
 iores nostros erat) sed etiam facta
 hominum observabant, ad leges-
 que revocabant. Hæc Cic. Se-
 cundo dignitatis gradu erant A-
 thenis νομοφύλακεις ut qui προέ-
 δροισ (quorum nomen à primis
 sedibus quas illi ante cæteros ha-
 bebant, deductum est) assiderent,
 strophio quodam lineo (quali
 honoris gratia dux Venetiarum
 hodie ornatur) capite redimiti.
 tantus erat honos priscis incolu-
 mitatis reipublicæ conservatori-
 bus, tantum legum studium. Idē
 enim est nullas habere leges, &
 multas quidem scriptas habere,
 nullis vero uti. Cæterum is ordo
 legi solebat ex ipsis Ariopagitis:
 illorumque præstantissimi etiam
 hanc curam legum habebant fan-
 ciendarum, tuendarumque: quod
 erat sacrosanctum munus. Nil

enim vetat, homines in uno constitutos ordine, dum aut ab officio quandoque respirando supersedent, aut quum causa vehementior urget, vario tempore variis aliis muneribus in Republica fungi: quod in supremis Galliae curiis maxime patet. Illarum enim partes quaedam, quae ad capitales causas ab inferioribus, aliae quae ad rerum actionem sunt constituta, perpendentes, approbant, vel reprobant: itaque rata habetur sententia. pars indictiva concilia, alii peculiarem quandam causarum cognitionem (commissiones vulgo, & relationes litium vocant) statuis temporibus, alii rationes rerum fiscalium, & alia sexcenta officia subeunt, quum tamen unum sint corpus, & curiae Praesides Consiliarii que dicantur. Antiqui vero non usque adeo rerum longo usu edocti, nec adeo periti quomodo unus
idem-

idemque magistratus multis variisque rebus præesse posset, varios deligebant ordines ad singula, quæ ab uno hodie fiunt senatu. Non sunt his absimiles quadragintaviri causarum capitalium apud Venetos. Nam de criminibus & causa integra & ex provocatione cognoscunt, legumque maiestati cum VI. viris sex regionum urbis (vocant vulgo sextariam) præfectis præsent, præsentemque ac arbitro sententiarum Duce de illis statuunt. In hoc vero differunt, quod sunt illorum in rebus capitalibus sententiæ Decemviris ex provocatione obnoxia. Præterea si quid in Ducem, Rempublicam, religionem, inque naturæ perniciem cuiusmodi est cinædica fœditas) admissum est, statim id vindicant Decemviri. Legibus conservandis, pariter & idoneis iudicibus in singulas provincias &

loca deligendis præsent apud
Turcas duo viri magna corona
doctorum & bonorum virorum
septi (Cadilescher vocant) primæ
authoritatis, prudentiæ & scien-
tiæ viri, quibus iudices coguntur
rationes reddere, inque sententia
parere quum quicquam male iu-
dicaverint. Proconvocationes enim
apud illos & fiunt, & ab ipsa su-
prema curia quam divam appel-
lant, remittuntur. Quum vero
casus ratio postulat, tunc uterque
senatus de illo cognoscit & iudi-
cat præside uno quatuor Bassa-
dum, præsentibus vero omnibus
primæ authoritatis viris. Hi or-
dines id officii explent quod
apud nos Cancellarius, qui reve-
ra solus νομόφυλαξ, id est, le-
gum vindex dici potest. Cogit
enim, veluti in corpore animus,
omnes iudices & magistratus se-
cundum leges æquique & boni
præscriptum iudicare: & si quis
contra

contra fecerit, aut pœnam ipse
 decernit, aut cum summo Gal-
 liæ consilio re agitata, præmiis
 digna refert quicumque legum
 maiestatem imminuerit. Ediver-
 so tui in Remp. animi beneficio
 Poyete, quotquot ipsa virtus ad
 magistratus potest evehere di-
 gnitatem, non favoribus, non
 sordibus, non demum secundum
 ambitionem, (quæ res non pauca
 ante tua tempora præclara inge-
 nia deiecit) sed infracto animo
 evehis promoveisque: quod etsi
 illorum qui ante te in illo fuerunt
 officio, munus: tamen re ipsa ap-
 paret te plura virtuti biennio
 nondum exacto dedisse, quam
 tota patrum memoria ullus Can-
 cellarius fecerit. De dignitate ve-
 ro Cancellaria, & cæteris Gallia
 magistratibus alias. Unum vero
 addam, quod Cancellario & no-
 mothetis atque *νομοφύλαξι* con-
 venit, ob vitæ integritatem esse

72 DE REPUBLICA
in perpetua dignitate, quoad vita
& æquitas comes fuerit.

C A P. VII.

De quingentis viris.

Οἱ πεντακῶσιοι, quingenti
viri, nomine ordinis nume-
rum aperientes, tam dignitate,
fama, quam officio, secundum
post Ariopagitas locum obtinue-
re: quorum apud Græcos autho-
res ita frequens est mentio, ut
nulla plane causa, nulla oratio il-
los non celebret. Hi enim civi-
lia munera, rerumque actiones,
de quibus quotidie popularibus
iis oboritnr, iudicare solebant.
Tempore functionis ab Ariopa-
gitis ita differebant, quod hi
erant διάδοχοι, permutatorii, id
est, quotannis sorte eligi soliti: il-
li erant δῖονες καὶ ἀδιάδοχοι. ut
iam ante dixi. Erant hi quo tem-
pore iudicabant, quo in munere
sunt prætores & supræfecti, quos
bail-